



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 5. Hydropici senis intercute aqua, quàm æternis ignibus cruciari
præoptantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

tæ non debet contemni, præ confusione, quæ, coram toto Mundo, in extremo iudicio, atque postea, sine fine, erit in Inferno? Sæpe autem Deus hîc cruciat, vt in æternum parcat. Itaque tribulatio & dolor non tantùm est, in electis, character & signum, eos esse filios Dei, sed etiam, esse electos. Vtriusque simul figuram habemus in diuinis historijs. Rachel enim vltimum charissimùmque filium *Benoni*, hoc est, *filium doloris* (sicut Isaias Christum, *virum dolorum, & scientem infirmitatem*.) Iacob autem eundem *Beniamin*, hoc est, *filium dextra* nominauit. Quid est hoc aliud, quàm filios Dei, qui persecutionem patiuntur, esse nõ tantùm *Benoni*, seu *filios doloris*, sed etiam *Beniamin*, *filiòsq; dextra*, qui scilicet in illâ dexterâ collocabuntur, vbi agni, non hædi, iudicante Domino, statuentur?

§. V.

Hydropici senis, intercute aqua, quàm in æternis ignibus cruciari præoptantis.

Prat. Spirit. cap. 8. In Turrium cœnobio, canitie veneranda senex adeò seuerè vixerat, vt in multa corporis incommoda caderet. Inter quæ fuit etiam hydrops. Veniebant ergo ad illum, è diuersis locis, qui eum consolarentur,

tur, rogaréntq; , vt , in ista præsertim æta-
te atque in inualetudine , non nihil de tam
austera viuendi consuetudine remitteret :
nam & frondem medio die , cum æstus ex-
ficcat , arboratores non cædere. His ille
aliud nihil respondebat ; quàm vt diceret :
Orate , pro me , Patres , ne interior homo hy-
dropicus fiat. Ego enim , vt in hac infirmitate
diutiùs durem , Deum oro. Hunc ergo eun-
dem Abbatem , cum audiuisset Hierosoly-
mitanus Archiepiscopus Eustochius adeò
vehementer morbo afflictum , constituit ei
suppeditare quidquid vel medicorum ars,
vel imbecillitas corporis exigeret. Myro-
genes autem (hoc enim seni nomen erat)
omnia repudiauit , hoc solùm ab Archiepi-
scopo petens : *Ora pro me , Pater , vt liberer*
ab aeterno cruciatu. Maluit nimirum hydro-
picus , in aquis , quod deliquisset eluere ,
quàm exurendum in æternos ignes reserua-
re. Scilicet , *dum iudicamur , à Domino cor-*
ripimur , vt non cum hoc Mundo damnemur.

1. Cor. II.
32.

Quod qui prospectum habet , bene fert in-
festos casus , neque vllum *Fortunæ* crimen
accusat ; sed etiam vltro optat & inui-
tat , in hac vita , miser esse , ne
sit in altera.

§. VI.

§. VI.

Optabilius esse, ut in hac vita secemur, & uramur, quam in altera, exemplo sancti senis, & minimè sancti epulonis.

Histor.
Tripart.
l. 8. c. 1.

Circa Mareotem degebat Stephanus; integra continentia Monachus, ad sexaginta annos, in omni virtutum palæstra exercitissimus, Antonio quoq; Magno de præstanti pietate notus. Erant in eo multa singularè laudem merentia. Fuit enim ille vir, non solùm ex optimo more, & sanctissima disciplina, sed etiam cum foris clarus, tum domi admirandus, neq; rebus externis magis laudandus, quàm facinoribus domesticis. Foris inter asperos mansuetus, inter ignorantes sapiens, alloquio suavis, sermone utilis; mirè callens ærumnosorum animos consolari, atque in ipso luctu, excitare ad alacritatem. Sed domi ipse haud indiligentiùs exercebat, quod foris alios docuerat. Tantus erat amator crucis, ut, si ipsa bona *Fortuna* venisset, non intromisisset. Ergo habuit, quod petijt. Nam in morbum iniectus est, eúmque prorsus incurabilè. Quem tamen adeò non curabat, ut, dum medici membra eius putrescentia secarent, ille (quasi de alieno corio ageretur, neq; crucia-